

ANGLIÆ III TABVLA.

73

nantur. Est & *Derwentio*, *Cokarus*, *Olenus* sive *Elenus*, *Eiden*, atque alii, piscibus abundantes. Ad hæc Oceanus, qui ad littus alliditur, Piscium optimorum examina alit, & negligentiam accolis quasi exprobrat, quod minus gnauiter piscaturam exerceant. Montes hic conferti Metallis grauidi, inter quos montes *Dertwentfels* vocati, in quibus ad *Newlands* æris venæ opulentæ non sine auro & argento nostro tempore sunt repertæ. Hic etiam inuenitur terra illa metallica, sive saxum induratum & micans, Anglis *Blacke leade* dictum, quo ad ducendas lineas, & monochromata pictores utuntur. Superiorem hujus regionis partem interfecat, qui nullo modo tacendus est, *Murus* ille celeberrimus, Romanæ provinciæ limes sive clusura, cxxi i millium passuum longitudine, Severi opus: qui ut ait Orosius, partem *Insule a cæteris indomitis gentibus vallo distinguendam curavit*. Eum Beda 8 pedes latum, & duodecim altum fuisse scribit, recta ab Ortum in Occasum linea: cujus nō solum vestigia sed etiam fragmenta in lōga spatia porrecta & tantū pinnis nudata extant, hodieque conspiciuntur, ut testatur Cædenus. Superest in hac tabula Episcopatus Dunelmensis, vulo *the Bishoprick of Durham*, sive *Duresme*, qui Eboracensibus ad Septemtrionem confinis in trianguli speciem efformatur, cujus apex ad Occasum coeuntibus ibi Septemtrionali limite & *Tesis* fontibus figuratur. Latus quod Meridiem spectat, continuo Tesis decursu terminatur: alterum, quod Boream, primum brevi ab apice linea ad Derwentum flumen, inde Derwentum ipso, & Tina flu. cum Derwentum admiserit, describitur. Basim vero trianguli, quæ Ortum respicit, ora maritima affingit, quam magno fremitu Oceanus Germanicus gravissime pulsat. Qua in apicem coarctatur, campi sūt nudissimi, silvæ raræ, colles glabri, sed non sine ferri venis, convalles autem satīs graminosæ: Angliæ enim Apenninus hunc angulum interfecat. Ad Orientalem autem partem, sive trianguli basim, uti etiam ad latera, culturæ terra est perquam grata, redditusque cum agricolarum labore contendunt, pratis, pascuis, arvis distincta, & carbone fossili quo pro ignis alimento passim in Anglia utuntur, copiosa. Primaria hujus regionis urbs Saxonibus *Dun-*
holm, Latinis *Dunelmum* dicta, vulgus *Durham* corruptissime vocat. Situ quidem æditiori & sane munitissimo, spatio tamē non magno, ovali quodammodo forma, flumine ab omni parte nisi a Septemtrione circumfunditur & moenibus armatur. Ad Australem partem fere qua flumen se reducit, Cathedralis Ecclesia surgit, pyramidibus & alta turre conspicua, in medio eminenti tumulo imponitur castrum quodammodo intermedium inter duos pontes è saxo, quibus Vedra fluvijs hinc ad Ortum, illinc ad Occasum conjungitur; a castro ad Septemtriones patet forum & S. Nicolai cernitur templum. Sunt hic præterea opida, *Standrope*, *Derlington*, *Hartlepole*, *Binchester* & *Chester upon the streete*, cum multis vicis atque arcibus. Numerantur in hoc agro & Northumbria, Ecclesiæ parochiales 118 præter sacella plurima. Flumina hic sunt primum *Tees* Latinis *Tesis* & *Tesa*, Polydoro *Athesis*, Ptolemæo *Tuesis* appellari videtur Camdeno, apud quem librariorum incuria exulare existimat. Hic Fluvijs è saxeto illo *Stanemore* erumpens, raptisque secum multis undique torrentibus, per rupes fluens è quibus ad Egleston marmora cæduntur, ac deinde multa loca alluens, tādē aplo ostio in Oceanū se ejicit, unde trianguli basis ad oram maritimam inchoatur. Item *Vedra*, *Gannesse*, *Derwentum*. Atque hæc de hisce tribus partibus dicta sufficient, ad reliquas pergitur.

Montes.

Murus Picticus.

Episcopatus Dunelmensis.

Situs.

Soli qualitas.

Urbes sive opida.

Flumina.